# DE DIABETE MELLITO NONNULLA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ROBERTUS UEBERHORST

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

FR. MAERKLIN, med. et chir. Dr.
A. PELIZAEUS, med. et chir. Dd.
F. A STEINAECKER, cam. reg. auscult.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

Cum in eo sim, ut ad doctoris gradum adspirem, quumque rei natura expostulet, ut dissertationem inauguralem scribam, diabeticum morbum elegi, de quo dissererem, quia practicanti mihi in clinico, quod in nosocomio caritatis Cel. **Wolff** moderatur, talis casus curandus tradebatur, qui praecipue quod ad decursum et therapiam hujus morbi singularis attinet haud parvi momenti mihi videtur.

Itaque mihi proposui paucis ea complecti, quae de diabete mellito viri docti scripserunt, quidque de eo censuerint, exponere, sub opusculi finem autem historiam morbi tradere illius hominis, qui jam diu diabete laborans, usque ad hoc temporis momentum, quamvis omnia eaque efficacissima remedia, quae unquam commendata legimus, adhibita sint, in eadem semper conditione versatur.

Ut novas sententias, aut novam curandi methodum in his pagellis proponam, nemo sane flagitabit, qui, tironem in medicina, priusquam nova proferat, quae nota sint, antea cognoscere debere intelligit.

## HISTORIA DIABETAE.

Jam antiquissimis temporibus hujus morbi scriptores mentionem fecerunt. Num Hippocrati fuerit cognitus, incertum est. Alii affirmant, alii negant, vario modo locos illos interpretantes, quibus de urina morbosa sermo est. Hoc tamen constat, Hippocratem nunquam nomine diabete usum esse. — Nomen primum invenitur apud Apollonium Memphiten et Demetrium Apamaeum, quorum ille hydropicis morbis eum adnumerat, hic autem, sicut Themison Laodicaeus, ab hydrope eum discernit. —

Celsus diabeten esse dicit morbum, in quo magna urinae copia mingatur, cum corporis tabe conjunctum.

Accuratiorem diabetae descriptionem Aretaeus Cappadox reliquit, imaginem distinctam et perspicuam nobis opponens. Post eum Gale-

nus de natura hujus morbi plura scripsit, quorum tamen multa ad nos haud pervenerunt.

Sed adnotationes per alia ejus scripta sparsae, eum hujus morbi naturam melius perscrutatum esse, quam priorum ullum, abunde probant.

Quem qui secuti sunt, omnes solam urinae profusionem respexerunt, donec Thomas Willisius primus indolem ejus examinans, defectum salium phosphoricorum atque principium singulare saccharinum in ea detegeret. Hunc virum secuti sunt recentiores: Morton, Darwin, Cullen, Home, Wollaston, Vauquelin, Cruikshank, Rollo, P. Frank, Dupuytren et Thenard, Watt, Pinel, de Stosch, alii.

## SYMPTOMATOLOGIA.

Quamvis diabetes plerumque successive aegrotos adoriatur et plerisque in casibus decursum lentum absolvat, tamen confiteamur necesse est, eum interdum celerrime ac sine prodromis intrare, praecipue si ex morbis acutis emergat. Semper autem primum symptoma in eo est, ut homines sitim adauctam conquerantur, quae die noctuque eos vexat et somnum aufert. Simul

cum siti perpetua intrat necessitas urinam mittendi, quae urina jam ab exordio a normali differt. Statim post mictum saepius vehementer in vase ebullit, colorem ostendit lividum, haud raro viridescentem. Quantitas ejus gradu morbi variat; pathognomonicum autem signum in eo est, ut semper sit disproportio inter ejus copiam et quantitatem nutrimentorum fluidorum, quae aegrotus assumit, ita ut maximam partem duplo aut triplo plus mingat, quam bibat. Odor ejus quoque variat: modo enim omni odore caret, modo autem odor et sapor sunt dulces.

Sapor autem ille dulcis a mellis dulcedine eo differre dicitur, quod in ore frigoris sensum efficiat.

Urina missa mox in fermentationem acidam transit, quam si accuratiori analysi chemicae submittis, invenies ei inesse saccharum plus minusve crystallisatum, saepe muco animali mixtum, eamque maximam partem amisisse materias urinae integrae proprias et salia.

Morbus si lente intrat, symptomata urgentia initio fere nulla offert, ita ut aegroti ipsi malum periculosum minime suspicentur. Paullatim vero post motum aliquem dedolationem

conqueruntur et languorem, simul cum tensione dolorifica regionis lumbaris, qui dolor saepius ad extremitates usque pergit. Durante morbo cutis fit sicca, sitis magis magisque homines vexat, lingua aut rubra est, aut muco albido obtecta, rarius sicca; dolor saepe sentitur in regione epigastrica, qui cum ad superiores partes provehatur, dyspnoëam provocat; alvus plerumque est retardata, quo in casu excrementa sunt sicca, odorem praebentia singularem, haud raro vero diarrhoeae cedit obstructio. Fames maximam partem est adaucta, ita ut aegroti quantitatem ciborum consumant, quae admirationem moveat. Gingivae saepe rubescunt et tumescunt, colorem praebent violaceum, ut in scorbuto, atque ita mutantur, ut dentes labefacti excidant. Quamquam aegroti ingentem ciborum molem assumunt, tamen valde macrescunt et viribus destituuntur, sensum plerumque accusant interni caloris, externi frigoris, praesertim in extremitatibus inferioribus et in regione sacra. Characteristicum porro symptoma in diabete illud est, quod coeundi et potentia et desiderium plane deficit, ita ut plures medici, ut Reil, initio morbi erectiones continuas, tum autem maximam laxitatem pe-

nis et scroti viderint, praeter quae testiculorum diminutionem Neumann et Berends commemorant. Neque feminae libidine tanguntur, quarum menses aut statim ab exordio suppressi, aut parci et aquosi sunt. Pulsus initio morbi plerumque justo rarior est, haud raro ne quadraginta quinque ictus quidem superans.

Decursu autem morbi procedente omnia symptomata increscunt; cutis eo aridior fit, fere pergamena, quo diuturnior morbus evadit. Accedunt saepe affectiones catarrhales, quae sonum et vocem aegroti mutant; pulsus fit irritatus, ita ut febrem lentam, postremo vero hecticam indicet; magnus calor internus et sitis inexplebilis omnem aegroto auferunt somnum et vires; quantitas urinae magis magisque adaugetur; plerumque oedema extremitatum accedit. Catarrhales illae affectiones verae phthisi pulmonum cedunt, ita ut colliquationes phthisicae intrent; inter quas aegroti aut celeriter, aut post annos diem obeunt supremum. In ultimo tamen morbi stadio plurimis in casibus urinae crasis mutatur, materia enim saccharina, prioribus stadiis propria, fere omnino cedit, atque tum urina fit lixiviosa. Quod si autem morbus ad valetudinem

vergit, symptomata urgentia omnia decrescunt, et eadem fere intensitate, qua aegrotum adorta sunt, eum relinquunt, donec tandem plane desinant.

## DIAGNOSIS.

Symptomata diabeten comitantia plerumque adeo completa sunt, ut diagnosis absque difficultate constituatur, praecipue si morbus jam ad altiorem gradum provectus est. Duo tamen sunt symptomata, quae primo obtuitu nostrum morbum cum aliis confundi patiuntur, sitim dico et magnam urinae copiam. Utrumque enim symptoma cernitur in hysteria et hypochondria, verum in his morbis minime sunt signa constantia, sed maximam partem tantum per noctem intrant, et modo per horas continent. Sitim observamus quoque in affectionibus hydropicis, ubi tamen nunquam est signum pathognomonicum, non enim ab initio morbi aegrotos vexat, sed emergente febre hectica demum se manifestat; sitis autem diabeticorum primum est signum, de quo aegroti conqueruntur, quodque primum a medico percipitur. Magnam etiam copiam urinae apud hy-

dropicos invenimus, si crisibus hydrops resolvitur; sed aucta urina in illis casibus est effectus medicamentorum diureticorum, et resoluto morbo mox evanescit. Quodsi denique urinae physicam indolem respicis, colorem similem invenies in morbis dictis, nam est pallida, fusca, nonnunquam adeo viridiuscula; sin vero chemicae analysi eam submittis, minime in ea invenies mutationes illas urinae diabeticorum proprias.

## DECURSUS ET EXITUS.

Plerumque diabetae decursus est chronicus, morbus lente evolvitur atque per annos protrahitur. Sunt tamen exempla, in quibus acutissime morbus decurrebat, quorum Dobson et Osterdyk mentionem faciunt. Typus maximam partem est continens, saepe remittens, raro intermittens, quem tamen Hufeland et Berndt observarunt. Aegroti si ad valetudinem redeunt, symptomata sensim diminuuntur tandemque plane evanescunt. Urinae et quantitas et qualitas ad normam revertuntur; magna tamen restat ad reversiones propensio. Symptomata si non evanescunt, ad majorem gradum continuo pergunt;

aegroti magis magisque macrescunt et viribus destituuntur, urinae copia atque sitis maximopere augentur, febris intrat lenta, deinde hectica, plerumque phthisis pulmonum accedit cum omnibus calamitatibus huic morbo singularibus, atque ita aegrotos corrumpit, ut phthisi magis quam diabete videantur perire.

## SECTIO CADAVERUM.

Qui cadavera diabete mortuorum secuerunt, varia, imo non raro contraria, in iis invenerunt.

De putrescentia corporum celerrime intrante Richter et Hecker referunt, quam tamen observationem Dupuytren et Thenard refutant. Sanguinem nubilum, serosi coloris et dulcis saporis P. Frank observavit. Cavitas cranii raro quidem explorata est; duo autem casus narrantur memoratu dignissimi. In altero nempe ab Horn observato cerebrum nimis durum, sub dura matre collapsum reperiebatur, ita ut spatium vacuum exstaret.

In altro casu, cujus de Stosch mentionem facit, hydrops arachnoideae aderat, cujus serum spatium vacuum explebat, atque substantiae ci-

nereae magna pars erat soluta. Medulla spinalis, quam Venables exploravit, inaequabiliter dura inveniebatur. Nervum sympathicum Nasse sanum reperit, Duncan contra in utroque latere solito crassiorem, inde a loco, quo cavum abdominis intrat, usque ad pelvim.

Cavum pectoris minores abnormitates praebuit. Berndt in eo invenit inflammationem pleurae costalis et pulmonalis. Dupuytren et alii pleuram costalem et pulmonalem concretas et partim ulceratas viderunt. Hepar Cullen atque plures alii medici normale invenerunt, Mead semper steatomatosum, Hecker semper induratum, aut alio modo degeneratum.

Maximam vero abnormitatem atque summam differentiam renes ostenderunt, quorum substantiam Reil inflammatam, vasis ditissimam vidit, Hecker flaccidam, pallidam, mollem, Conradi amplificatam, Rudolphi consumtam succo albido, calculis impletam, aut ulceratam. Saepissime tamen renum substantia erat aucta, mollior et pallidior, quam statu sano (Home). Ureteres mirum in modum expansos Ruysch et Reil describunt, Baillie contra et Dupuytren normales sanosque invenerunt.

Hope et Baillie vasa renalia adeo sanguine turgida se vidisse affirmant, ut aut congestio, aut inflammatio adfuisse videretur.

## AETIOLOGIA.

De causa proxima diabetae magna inter viros doctos viget dissensio.

Jam ab antiquissimis temporibus theoriae et hypotheses variae de hac re constitutae sunt, et ne nostris quidem diebus certum atque diremtum est, quibus organis hujus morbi sedes sit assignanda.

Antiquiores medici diabeten morbum esse credebant organorum urinam secernentium. Galenus et Celsus eum ex renum paralysi aut relaxatione arbitrabantur oriri, quibuscum consentiunt Aëtius et Trallianus. Dolaeus relaxationem viarum uriniferarum subesse putat, quem secuti sunt Buchwald, Boerhaave, Dzondi, alii. Creuzwieser diabeten spasticum et torpidum distinguit, quorum illum dicit oriri a nimia renum incitabilitate, hunc e laxitate vasculorum renalium. Richter, Cullen, Soemmering spasmum renum accusant,

plurimi autem statum subinflammatorium vel vere inflammatorium. Multi praeterea medici diabetae causam proximam functioni perversae cutis et humorum tribuunt, ut Tissot, qui absorptionem humorum per cutem, Kausch, qui spasmum cutis perpetuum adesse arbitratur, quo humores aquosi retineantur.

Darwin suspicatur, diabetae causam in motu retrogrado chyli cerni, quippe qui non ad ductum thoracicum, sed ad renes vadat, ibique secernatur.

Quae tamen theoriae morbi naturam minime illustrant. Majoris momenti theoria de diminuta et perversa assimilatione animali est. Thomas Willisius: »causa diabetae proxima, inquit, in sanguinis deliquio sive nimia serositate colliquativa consistit, dum compages sanguinis nimis est laxata et dissoluta.« Cullen et Home diminutam et plane turbatam functionem assimilationis causam hujus morbi perhibent. Rollo dicit: morbus hicce constat in actione ventriculi praeter normam aucta cum nimia secretione et depravatione succi gastrici, quo, dum plantae consumtae decomponuntur, materia saccharina exoritur.

Cui opinioni suffragantur Reil, Haase, Henke. Haase hyperoxydationem succi gastrici primum momentum vindicat ad efformandum diabeten, qua resorptio in organis digestionis et cute exagitetur, renes irritentur et urina augeatur. Hufeland proxima diabetae causa, inquit, est propria quaedam alienatio processus in renibus chemici; e chylo in renibus saccharum educitur, quocum simul partes nutritiae sanguini detrahuntur. Berndt ex observationibus suis compertum sese habere asserit, diabeten initium capere ex alienatione organorum digestionis.

Supersunt denique theoriae, quae diabetae causam in affectione quadam nervorum cerni docent. P. Frank propriam nervi pharyngei affectionem, ei oppositam, quae hydrophobiae causam proximam constituat, accusat, simul autem vasa lymphatica peccare tradit. Heim opinatur, diabeten esse morbum nervorum praedispositione psychica praeparatum, excitatum autem causa occasionali, uti mutationes lactis et salivae per vehementia irritamenta psychica inducantur. De Stosch contendit, proximam diabetae causam in paralysi ejus nervi sympathici partis, quae systemati venoso provideat,

collocandam esse, qua venarum vis resorbens exstinguatur. Adnumerat ergo diabeten tabis nervosae speciebus. Novissimam theoriam Neumann constituit, contendens, plexum nervorum, qui urinae secretioni prospiciat, testiculis quoque nervos suppeditare; semini et urinae unum idemque esse ganglion. Hunc plexum aegrotare affirmat, quo fiat, ut neque semen neque urina secernatur, sed materia illa fluida cum principio saccharino.

Hae fere sunt theoriae de causa proxima diabetae; jam ad causas remotas gradum facio.

Diabetes mellitus maximam partem homines adoritur aetate provectiores, etsi nulli aetati omnino parcit. A pubertate inde increscere opportunitatem ad diabeten, maximam esse inter annum XXX—XXXV, tum autem decrescere, Schoenlein contendit. P. Frank et Berndt summa quoque in senectute morbum nostrum observarunt. Quod attinet ad sexum, apud multos legimus feminas rarius hoc morbo tentari, quam viros, imo sunt viri illustrissimi, ut Schoenlein, qui nunquam feminam hoc morbo correptam viderunt. Dispositionem hereditariam ad diabeten plures medici observarunt, ut Ronde-

let, qui patrem et filiam, Morton, Creuzwieser, P. Frank, qui plura ejusdem familiae membra morbo affecta viderunt. Neque corporis constitutio multum valet, Oosterdyk enim, Brandis robustos, Home contra graciles et debiles in morbum incidere observarunt. Heim tradit aegrotos, quos ipse diabete laborantes viderit, omnes fuisse prudentissimos et ingeniosissimos. Alii, ut Willisius, Wolff, affectus animi deprimentes, moerorem, sollicitudinem, repentinum terrorem frequentissimam causam occasionalem habent. Quod ad diaetam, Rollo luxuriosam, uberrimam accusat, Haase, Reil tenuem, minus nutrientem; in universum autem ea, quae organa digestionis et systema uropoëticum debilitant, morbum inferre videntur. Itaque ab aliis abusus vegetabilium, farinaceorum, leguminum praecipua diabetae causa nominatur, ab aliis abusus diureticorum. Sic Boerhaave et Grimm ex abusu coffeae et theae morbum nasci viderunt, Rollo ex abusu sacchari et mellis, Lister et Marcus ex abusu balsamorum. Plurimi autem nimium usum potuum fermentatorum accusant, cerevisiae albae, vini recentis (Rollo, Willis, Nasse, Schoenlein). Diabeten e

transpiratione suppressa ortum viderunt Darwin, Richter, Wolff, Haase. Sunt quoque, qui causam gravissimam habeant onaniam et excessum in venere, quippe quibus systema urogenitale maxime debilitetur. Diabeten consecutivum et metastaticum existere, jam Aretaeus affirmat, et multi post hunc medici varios morbos eum secutum viderunt, ut morbillos, variolas, scorbutum, hepatis obstructiones et desorganisationes, dysenteriam, renum abscessum et amplificationem. Metastaticus morbus invenitur post arthritidem, syphilidem, scrophulosin et exanthemata chronica. Num contagiosus sit diabetes, nec ne, adhuc in suspenso est. Reil solus exemplum affert, quo uxor, quae in eodem lectulo cum marito diabetico dormitabat, hoc morbo tentata fuerit, postea autem, cum sola dormiret, convaluerit. Diabetes in omnibus fere terrae partibus occurrit, in aliis tamen frequentior, in aliis rarior. Sic in Anglia humida, imprimis Caledonia, in superiori Italiae parte, Lombardia, magis viget, quam in aliis terris. Apud nos rarius occurrit, ita ut inter medicos, qui de eo scripserunt, quique summam aetatem consecuti sunt, nullum legerim dicentem, sese multos horum aegrotorum observasse.

## PROGNOSIS.

Prognosis in diabete semper mala est, ne dicam pessima, quippe qui morbus, totam artem medicam maximamque medicorum diligentiam eludens, raro miseris spem salutis relinquat, sed fere inevitabili morti eos tradat. Etenim si nonnullos medicamenta ad sanitatem reduxisse dicuntur, tamen hos casus ambiguos habeamus necesse est, praesertim cum hoc in morbo saepe remissiones occurrant, quae medicum facile fallere, eique persuadere possunt, diabeten esse sublatum. Schoenlein, qui hunc morbum in stadia duo, quorum in primo urina albumen, in secundo autem saccharum contineat, dividendum censet, si aegrotus in stadio primo versetur, spem vitae servandae superesse putat, e contrario autem mortem imminere dicit, si saccharum in urina inveniatur.

Quamvis sint medici, qui sanationem perfectam hujus morbi viderunt, plurimi tamen omnes a se curatos mortuos esse lugent. P. Frank duos se sanasse affirmat, quorum tamen alter morbum recidivum passus sit. Wolff in nosocomio caritatis, quot vidit diabeticos, ne unum

quidem salvum dimisit, nam fere omnes phthisi pulmonum, postremo accedente perierunt. Cutis humescens, fames, sitis, lotii copia et materia saccharina imminutae, virium instauratio et corporis augmentum signa salutaria habentur.

Pendet autem prognosis

1) A stadio morbi. Quo maturius morbus cognoscitur, eo melior prognosis; ubi diutius perduravit, ubi jam vitia viscerum organica, hydrops, phthisis, febris hectica accesserunt, exitium imminet.

2) A copia urinae et materia saccharina ei admixta.

3) Ab aetate. Homines aetate provectiores gravius hoc morbo periclitari dicuntur, quam juniores.

Maxime denique causae praedisponentes sunt respiciendae, inter quas praesertim onania, excessus in venere, omnem fere spem sanationis auferunt.

## CURATIO.

Fere nullus exstat morbus, cujus medelae majorem operam impenderint, et in quo curando

minus profecerint medici. Fieri enim non potest, quin ratio medendi diversissima sit saepeque contrario, quum de causa proxima morbi tam variae sententiae foveantur. Itaque optimum mihi videtur, hoc loco breviter enarrare, quibus praecipue remediis medici illustrissimi usi sint.

Rollo, quem plures medici sequuntur, indicationes hasce proponit:

1) formatio materiae saccharinae prohibeatur;

2) actio ventriculi aucta ad normam reducatur.

Hunc in finem diaeta mere animalis sit, aegrotus ab omni quoque alimento vegetabili sese abstineat; bibat lac cum infuso herb. menthae piperit., praeterea autem kali sulphuric. aqua fervida solutum; quovis mane totum corpus oleo perfricetur, dein laneae vestes induantur, et nunquam e lectulo aeger surgat. Vespere Rollo commendat liquoris ammon. sulphur. gtt. IV–XII, digitalem, opium cum antimonialibus.

Si alvi obstructiones exstant, alöen praebet, saponem, aut oleum Ricini. Interdum urgentibus symptomatibus venae sectionem admittit et vesicatoria in regione renali ponit.

P. Frank asae foetidae usu cum extracto myrrhae aquoso et Valeriana perspicuum urinarum decrementum, ac cupro ammoniacali bis per diem ad gr. I porrecto perfectam sanationem obtinuit.

Wolff Varsaviensis transpirationem cutis evocari jubet, quem in finem balneis vaporariis utitur et infrictionibus aromaticis; interne autem diaphoretica praebet, pilulas ex asa foetida, felle tauri, oleo Valerianae, pulvere Doweri cum ammonio carbonico, serius tinctura Chinae composita et tinctura cantharidum.

Methodum antiphlogisticam jam antiquiori tempore medici applicuerunt, recentiori autem aevo R. Watt venaesectionibus largis atque iteratis valetudinem se restituisse affirmat; idem judicavit Formey, qui hirudines ad columnam vertebralem applicuit, diaeta parca atque mucilaginosa uti jussit, atque camphoram et opium praebuit. Schoenlein ineunte morbo utitur narcoticis, quorum maxime laudat opium forma tincturae Thebaicae, cujus ʒij intra horas XXIV exhibet, deinde balnea et pulverem Doweri. Postea, si secretiones aliorum organorum redintegratae sunt, ad adstringentia confugit, praeser-

tim ad tincturam cantharidum. Berndt creosoto usus est, cujus gtt. XXV — XL sanationem se impetrasse tradit. Nostris demum temporibus acida laudata sunt; Wright sal marinum cum succo citri, Scott acidum muriaticum commendat. Ut tamen vires sustententur et tabes diminuatur omnia fere haec remedia cum tonicis conjungebantur. Qui remediorum grex autem plerisque in casibus nihil fere valuit, quare Pinel ne uno quidem eorum usus diabeticum quendam per longum tempus moestitia pressum, eo tantum, ut ruri eum vivere juberet, ubi moestitia cessit, se sanasse affirmat.

## MORBI HISTORIA.

A. S. mercenarius viginti octo annorum, parentibus sanis, ante nonnullos demum annos defunctis, natum se esse affirmat. Ipse perinde ac frater et soror nunquam graviori morbo laborabant usque ad mensem Januarium hujus anni, quo noster post refrigerium febre corripiebatur cum horroribus intrante. Simul ineunte febre sitim adauctam conquerebatur, conjunctam cum necessitate, frequenter urinam mittendi. Languor

et dedolatio accesserunt, ita ut labores solitos continuare nequiret; simul autem maxima fames eum vexavit, quam cum domi cibis satiare non posset, ad nosocomium caritatis se contulit, ut sanitatem recuperaret. Die VII mens. Februarii, quo Cel. Wolff primum aegrotum nobis ostendebat, omnia apud eum conspiciebantur signa diabetae. Urinae mittebantur quotidie librae XIII.

Aegrotus balneis utebatur atque pro potu accepit:

℞ Elix. acid. Halleri ℥ß
Syrup. papaver. ℥iv
M. D. S.

Die XIV., quum diarrhoea accessisset, praescribebantur:

℞ Pulv. ipecac. compos. gr. v
Elaeosacch. menth. gr. x
M. f. p.

quibus diarrhoea cessit; paullo post pulsus justo frequentior factus est, urinae autem copia, quae initio ad libras XI decreverat, mox priorem recepit modum.

Simul dolores rheumaticos in cruribus aeger accusavit et affectiones dyspeptas.

Dabatur die XX.

℞ Opii puri gr. iv
Camphor. gr. xij
As. foetid. ʒij
Fell. taur. inspiss. q. s.
ut fiant pilulae No. 120

quater per diem decem pilulae sumantur. Externe infrictiones oleosae applicabantur et cataplasmata ad abdomen.

Postquam hoc remedio symptomata urgentia satis mitigata, et urinae quantitas ad libras viij diminuta fuit, sub diem xv. mens. Martii ad libras xviij rursus adaugebatur, qua de re die xx. mens. Martis dabantur haec:

℞ Creosoti gr. x
Pulv. rad. Alth. ℈ij
Succ. liquirit. q. s.
ut fiant pilulae No. 40

quater per diem pilulae duae sumantur.

Quo remedio applicato urina initio parcior reddita est, postea autem creosoti dosis ita augebatur, ut quater per diem pilulae sex sumerentur. Obstructio alvi cum accessisset, clysmata adhibebantur cum usu interno olei Ricini. Sub diem XVII. mensis Aprilis Creosoti efficacia in aegrotum nostrum fere exstincta erat,

quare seposito hoc remedio oleum jecoris praebebatur, quod inter remedia ante dicta diuresin plurimum coercuit. Postea autem cum opus esset, ut majores doses sumeret aegrotus, affectiones gastricae intrarunt, quae úsum longiorem olei vetarunt. Hoc quoque tempore aegrotus primum oppressiones pectoris accusavit, tussim, dyspnoeam; sputa autem nondum aderant. Die XXIV. mensis Maji denuo oleum jecoris dabatur, quod tunc etiam urinam initio valde minuebat, postea autem, cum affectiones majorem gradum assequerentur, atque fere subito urinae quoque copia adaugeretur, die II. mensis Junii ad nucem vomicam confugiebatur, atque praescribebantur:

℞ Extr. nuc. vomic. spirit. gr. v
Pulv. rad. Alth. gr. xv
Succ. liquirit. q. s.
ut fiant pilulae No. 20
quater per diem pilula una sumatur.

Quod tamen remedium cum haud perspicuam efficaciam exerceret, die XII. mensis Junii ad Strychninum ipsum transitus factus est:

℞ Strychnin. nitric. gr. j
Pulv. rad. alth. ℈j
Succ. liquir. q. s.
ut fiant pilulae No. 24.
mane et vespere pilulae tres sumantur.

Quibus pilulis initio urina diminuebatur, postea autem, quamvis strychnini dosis ita augeretur, ut aegrotus quovis mane et vespere grani tertiam partem acciperet, ad pristinum fluxum rediit.

Per menses Junium et Julium oppressiones pectoris ad majorem gradum evehebantur, sputa accesserunt vere phthisica, tussis aegrotum vexat, febris hectica jam adest, et miserrimus ita macrescit, ut vix ossibus haereat. Ut tussis mitigaretur, haec dabantur:

℞ Extr. Belladonnae gr. ij
Aq. ceras. amygd. ℥j
Syrup. alth. ℥ß
bihorio cochlear minus sumatur.

Deinde praescribebantur pilulae hae:

℞ Opii puri
Sulphur. aurat. āā scrup. dimid.
Hrb. digitalis ℈j
Ext. Helenii ʒß
fiant pilulae No. 30.
quater per diem pilulae duae sumantur.

Quamvis omnibus his remediis per longum tempus et magnis eorum dosibus usus sit aegrotus, tamen quod ad diabeten in eadem semper versatur conditione, phthisis vero pulmonum, quae fere stadium colliquativum jam attigit, brevi inevitabili morti eum tradet.

---

# VITA.

Natus sum ego **Paulus Guilelmus Robertus Ueberhorst** die XXI. mens. Novembris a. MDCCCXVI Vierseniae, provinciae Rhenanae urbe, patre **Carolo**, medico practico apud Xantenses, matre **Arnoldina** e gente **Carstanjen**, quam dudum morte mihi abreptam vehementer lugeo. Fidem confiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus Teutoburgi ad Rhenum flumen, a. MDCCCXXX gymnasium Cliviense, quod tunc temporis directore **Rigler** florebat, petii, ibique per septem annos moratus, autumno a. MDCCCXXXVII maturitatis testimonio mu-

nitus Berolinum me contuli, ubi Ill. Boeckh rector magnificus in civium academicorum numerum me recepit, Ill. Wagner t. t. decanus maxime spectabilis nomen meum in album medicinae studiosorum retulit. Per tria semestria hasce frequentavi lectiones: anatomiam, physiologiam me docuit Ill. Mueller, osteologiam Ill. Schlemm, chemiam Ill. Mitscherlich, botanicen et historiam naturalem Ill. Link, physicen Ill. Schubarth, materiam medicam Exp. Mitscherlich. In arte cadavera rite secandi duces mihi fuerunt Ill. Mueller et Ill. Schlemm.

Vere anni MDCCCXXXIX almam universitatem Bonnensem petii, atque a rectore magnifico Mayer in civium academicorum numerum receptus, nomen professus sum apud decanum maxime spectabilem Wutzer. Per duo semestria hisce interfui scholis:

Ill. Wutzer de chirurgia generali et speciali, de anatomia chirurgica, Ill. Nasse de therapia generali et speciali, Ill. Kilian de arte obstetricia. In clinicis chirurgicis et obstetriciis duces mihi fuerunt Ill. Wutzer et Ill. Kilian.

Vere anni superioris ad hanc almam Musarum sedem reversum rector magnificus Twesten recepit, decanus t. t. maxime spectabilis Hekker in album inscripsit.

Per tria haecce semestria exercitationibus clinicis adfui Ill. Juengken, Ill. Schoenlein, Cel. Wolff, Cel. Truestedt.

Inde a mense Martio hujus anni, ut reipublicae legibus satisfaciam, chirurgi fungor officiis duce Exp. Dr. Doering.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias habeo quam maximas.

Jam tentaminibus et philosophico et medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, fore spero, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

## THESES.

1. Operatio strabismi haud semper certa et fausta.
2. Graviditatis nullum certum signum.
3. Mentiri medicum licet.
4. Diabetes non renum morbus, sed cachexia.